OE
330 xv



~~C.1.P.6.~~

15
3. E. 330. (Daemon 366)

Nouicijs adoleſcẽtib⁹: ad aſtronomicã remp: capeſſendã aditũ impetrãtib⁹: p breui rectoq; tramite a vulgari veſtigio ſemoto: Joannis de ſacro buſto ſpẽricũ opuſculũ. Cõtraq; cremonẽſia i planetaꝝ theoricas delyramẽta Joãnis de mõte regio diſputationes tã acuratiſſ. q; vtiliſſ. Necnõ georgij purbachij i eorũdẽ mot⁹ planetaꝝ acuratiſſ. theoricę: dicatũ op⁹: vtili ſerie ꝓtextũ incohat.

Tractatum de ſpẽra quatuor cãpitulis diſtinguimus. Dicturi primo: quid ſit ſpẽra: quid cius centrum: quid axis ſpẽrę: quid ſit pol⁹ mundi: quot ſũt ſpẽrę: & quę ſit forma mũdi. ¶ In ſcõo de circulis ex q̃b⁹ ſpẽra materialis cõponit̃: & illa ſu pcẽleſtis quę p iſtã imaginat̃ cõponi intelligit̃. ¶ In tertio de ortu & occaſu ſignoꝝ de diuerſitate dieꝝ & noctiũ quę fit habitantib⁹ i diuerſis locis: & de diuiſione climatũ. ¶ In q̃rto de circulis & motib⁹ planetaꝝ: & de cauſis eclipſiũ.

Capitulum primũ

Spẽra igit̃ ab Euclide ſic deſcribit̃. Spẽra ẽ tranſitus circũferentię dimidij circuli quoticns fixa diametro quouſq; ad locũ ſuũ redeat .circũducit̃. id eſt Spẽra ẽ tale rotundũ & ſolidũ qđ deſcribit̃ ab arcu ſemicirculi circũducto. Spẽra etiã a Theodoſio ſic deſcribit̃. Spẽra eſt ſolidũ quoddã vna ſupficie cõtentũ i cui⁹ medio pũct⁹ eſt: a quo oẽs lineę ductę ad circũferẽtiã ſũt ęq̃les. Et ille punct⁹ dicit̃ centꝝ ſpẽrę. Linea v̄o recta trãſiẽs p cẽtꝝ ſpẽrę applicãs extremitates ſuas ad circũferẽtiã ex vtraq; parte dicit̃ axis ſpẽrę. Duo qdẽ pũcta axẽ terminãtia dicũt̃ poli mũdi. ¶ Spẽra aũt dupliciter diuidit̃ ſcõm ſubſtãtiã: & ſcõm accidẽs. Scõm ſubſtãtiã i ſpẽras nouẽ ſ; ſpẽrã nonã: quę pm⁹ motus: ſiue pmũ mobile dicit̃. & in ſpẽrã ſtellaꝝ fixaꝝ quę firmamentũ nuncupat̃

BIBLIOTHEQUE SAINTE GENEVIEVE

z in ſeptem ſpheras ſeptem planetaȝ: quaȝ quędā ſunt maiores quędam minores: ſecundum qȝ plus accedunt vel recedunt a firmamento. Vnde inter illas ſphęra ſaturni maxima eſt. Sphęra vero lunę minima: ȝut in ſequenti figuratione continetur.



♈ Aries	♎ Libra	Characteres aſpectuū		♄ Saturnus
♉ Thaur⁹	♏ Scorpius	☌ Coniunctio		♃ Iuppiter
♊ Gemini	♐ Sagittari⁹	✶ Sextilis		♂ Mars
♋ Cancer	♑ Capricorn⁹	△ Trinus		☉ Sol
♌ Leo	♒ Aquarius	□ Quartus		♀ Venus
♍ Virgo	♓ Piſces	☍ Oppoſitio		☿ Mercuri⁹
diaci ☊ Caput ☋ Cauda				☾ Luna

Characteres ſignoꝝ ȝo/

Characteres planetaȝ

¶Secundū accidens aūt diuidit᷑ i sphęrā rectā ⁊ obliquā. Illi enī dicunt᷑ habere sphęrā rectā:qui manēt sub ęquinoctiali:si aliquis manere possit. Et dicit᷑ recta quoniā neuter poloꝝ magis altero illis eleuat᷑. Vel quoniā illoꝝ horizon intersecat ęquinoctialē ⁊ intersecat᷑ ab eodē ad angulos rectos sphęrales. Illi vero dicuntur habere sphęrā obliquā quicūqꝫ habitant circa ęquinoctialē vel vltra. Illis enī supra horizontem alter poloꝝ semp eleuat᷑: reliquus vero semper deprimitur. Vel quoniā illoꝝ horizon artificialis intersecat ęquinoctialem ⁊ intersecat᷑ ab eodē ad angulos imparcs ⁊ obliquos.

Quae forma sit mundi.

¶Vniuersalis autē mundi machina in duo diuidit᷑. in ętbream scilicet ⁊ elementarē regionē. Elementaris quidē alterationi continue peruia existens in quatuoꝝ diuidit᷑. Est enī terra tanq̄ꝫ mūdi centrū in medio omniū sita:circa quā aqua:circa aquā aer:circa aerem ignis illic purus ⁊ nō turbidus:orbem lunę attingens. vt ait Aristoteles in libro methauroꝝ. sic enī ea disposuit deꝰ glorioſus ⁊ sublimis. Et hęc quatuoꝝ elementa dicunt᷑ que vicissim a semetipsis alterantur corrumpuntur ⁊ regenerant᷑. Sunt autē elementa corpora simplicia:quę in partes diuersarum formaꝝ minime diuidi possunt. Ex quoꝝ cōmixtione diuersę generatoꝝ spcies fiunt. Quoꝝ trium quodlibēt terram orbiculariter vndiqꝫ circundat:nisi quantū siccitas terrę humori aquę obsistit ad vitam animantiū tuendā. Omnia etiā prętcr terrā mobilia existūt. quę vt centrū mundi ponderositate sui magnū extremoꝝ motū vndiqꝫ equaliter fugiens rotūde sphęre medium possidet. ¶Circa elementarem quidem regionem ętherea regio lucida a variatione omni sua immutabili essentia immunis existens:motu ꝯtinuo circulariter incedit:⁊ hęc a philosophis quinta nuncupatur essentia. Cuius nouem sunt sphęrę sicut in proximo pertractatū est. scz Lunę Mercurij Veneris Solis Martis Jouis Saturni Stellaꝝ

109

fixarũ: ꝛ cęli vltimi. Jſtaꝝ autẽ quęlibet ſuperior inferiorẽ ſpheri/
rice circũdat. Quaꝝ quidẽ duo ſunt motus. Vnus eſt eni cęli vlti
mi ſuper duas axis extremitates ſcz polũ arcticũ: ꝛ antarcticũ ab
oriente ꝑ occidentẽ in orientẽ ireꝝ rediens: quẽ ęquinoctialis circu
lus ꝑ mediũ diuidit. Eſt etiã ali⁹ inferiorꝝ ſphęraꝝ motus ꝑ obli/
quũ huic oppoſitus ſuper axes ſuos diſtantes a primis. 23. gradi
bus: ꝛ. 33. minutis. Sed primus omnes alias ſphęras ſecum im/
petu ſuo rapit infra diem ꝛ noctẽ circa terrã ſemel: illis tamẽ cõ/
tra nitentibus: vt octaua ſphęra in. 100. annis gradu vno. hũc ſi/
quidẽ motum ſecundũ diuidit ꝑ medium zodiacus: ſub quo quili/
bet ſeptẽ planctaꝝ ſphęrã habet propriã in qua deferẽ motu pro/
prio cõtra cęli vltimi motum: ꝛ in diuerſis ſpacijs tempoꝝ ipſum
metitur vt Saturnus in. 30. annis. Juppiter ĩ. 12. Mars ĩ duob⁹
Sol in. 365. diebus ꝛ fere ſex horis. Venus ꝛ Mercurius fere ſi/
militer. Luna vero in. 27. diebus ꝛ. 8. horis.

De caeli reuolutione.

¶ Qđ autẽ cęlũ voluaẽ ab oriente ĩ occidentẽ ſignũ eſt. Stellę quę
oriuntur in oriente: ſemꝑ eleuantur paulatim ꝛ ſucceſſiue quouſqz
in mediũ cęli veniant: ꝛ ſunt ſemꝑ in eadẽ ꝓpinqnitate ꝛ remo/
tione ad inuicẽ: ꝛ ita ſemper ſe habentes tendũt in occaſũ cõtinue
ꝛ vniformiter. Eſt ꝛ aliud ſignũ. Stellę quę ſunt iuxta polum ar/
cticũ: quę nobis nũq̃z occidunt mouenẽ cõtinue ꝛ vniformiter cir
ca polum deſcribendo circulos ſuos: ꝛ ſemꝑ ſunt in ęquali diſtan/
tia ad inuicẽ ꝛ propinquitate. Vnde per iſtos duos motus conti
nuos ſtellaꝝ tam tendentiũ ad occaſum q̃z nõ: patet q̃ firmamen
tum mouẽ ab oriente in occidentẽ.

De cacli rotunditate.

¶ Qđ autem ſit cęlum rotundum: triplex eſt ratio: ſimilitudo: cõ/
moditas. ꝛ neceſſitas. Similitudo eni: qm̃ mũdus ſenſibilis fact⁹
eſt ad ſimilitudinem mundi archetypi: in quo non eſt principi/

um neqꝫ finis. Vnde ad huius ſimilitudinem mundus ſenſibilis habet formam rotundam: in qua nō ē aſſignare p̄ncipiū neqꝫ finē Cōmoditas: quia omniū corpoꝝ hyſoperimetroꝝ ſphęra maxi/mum eſt: omnium etiam formarum rotunda eſt capaciſſima: quo niā igiť maximū ⁊ rotundū: ideo capaciſſimū: vnde cū mundus oia cōtineat: talis forma fuit illi vtilis ⁊ cōmoda. Neceſſitas: qm̄ ſi mundus eſſet alteri⁹ formę q̄ꝫ rotundę. ſcꝫ trilaterę vel quadri/laterę vel multilaterę ſequerenť duo impoſſibilia: ſcꝫ q̄ aliquis lo tus eſſet vacu⁹: ⁊ corp⁹ ſine loco: quoꝝ vtrunqꝫ falſū eſt: ſicut pꝫ ī angulis eleuatis ⁊ circūuolutis. Jtē ſicut dicit Alfraganus. ſi cę/lum cēt planū: aliqua ps cęli eſſet nobis ꝓpinquior alia. illa ſcilicꝫ quę eſſet ſupra caput noſtrū: igiť ſtella ibi exiſtēs cēt nobis ꝓpin quior q̄ꝫ exiſtens in ortu vl̄ occaſu: ſed quę nobis ꝓpinquiora ſūt maiora videnť. Ergo ſol vl̄ alia ſtella exiſtēs i medio cęli maior vi deri deberet q̄ꝫ exiſtēs i ortu vel occaſu: cui⁹ ꝓtrariū videm⁹ con/tingere. Dī Jaior eni apparet ſol vel alia ſtella exiſtens in oriente vel occidente q̄ꝫ in medio cęli. ſed cum rei veritas ita nō ſit: huius apparentię cauſa eſt: q̄ in tempore hyemali vel pluuiali quidam vapores aſcendunt inter aſpectū noſtrū ⁊ ſolē vel aliā ſtellā. ⁊ cū illi vapores ſint corpus diaphonū diſgregant radios noſtros vi/ſuales. ita q̄ nō cōprehendunt rem in ſua naturali ⁊ vera quanti tate: ſicut patet de denario ꝓiecto in fundo aquę limpidę: qui ꝓ/pter ſimilem diſgregationem radiorum apparet maioris q̄ꝫ ſuę verę quantitatis.

Q̄ terra ſit rotunda.

¶ Q̄ etiā terra ſit rotunda ſic patet. Signa ⁊ ſtellę nō equaliter oriunť ⁊ occidunt omnibus hominibus vbiqꝫ exiſtentibus: ſꝫ pri us oriuntur ⁊ occidunt illis qui ſunt vel verſus orientē: ⁊ q̄ citius ⁊ tardius oriuntur ⁊ occidunt quibuſdam: cauſa eſt tumor terrę:

qđ bene patet per ea quę fiunt in sublimi. Una enī ꝛ eadem edi/
psis lunę numero quę apparet nobis in prima hora noctis: appa
ret orientalibus circa horā noctis tertiam. Unde constat qꝫ prius
fuit illis nox. ꝛ sol prius eis occidit q̄z nobis. Cuius rei cā ē tantū
tumor terrę. ¶ Qđ terra etiā habeat tumorositatē a septentrione
in austrū: ꝛ econtra sic patet. Existentib⁹ versus septētrionē quędā
stellę sunt sempiternę apparitionis. sc̄z quę ꝓpinquę accedunt ad
polum arcticum. Alię vero sunt sempiternę occultationis sicut illę
quę sunt ꝓpinquę polo antarctico. Si igitur aliquis ꝓcederet a
septētrione versus austrū: intantū posset procedere: qꝫ stellę quę
prius erant ei sempiternę apparitionis: ei iam tenderent i occasū
ꝛ quanto magis accederet ad austrū: tanto plus moverentur i oc
casum. Ille iterū idē homo posset videre stellas quę prius fuerant
ei sempiternę occultationis. Et ecōverso cōtingeret alicui procedē
ti ab austro versus septentrionē. Huius autē rei cā est tumor terrę
Item si terra esset plana ab oriente in occidentē: tam cito oriren/
tur stellę occidentalibus q̄z orientalibus: qđ patet esse falsum. Itē
si terra esset plana a septentrione in austrum ꝛ econtra: stellę quę
essent alicui sempiternę apparitionis: semꝑ apparerent ei quocun
q̄z procederet: qđ falsum est. Sed qꝫ plana sit prę nimia eius quan/
titate hominum visui apparet.

¶ Qđ aqua sit rotunda.

¶ Qđ autē aqua habeat tumorē ꝛ accedat ad rotūditatē sic patet
Ponatur signū in littore maris ꝛ excat nauis a portu: ꝛ intantum
elongeť qꝫ oculus existens iuxta pedem mali non possit videre si/
gnū. Stante vero naui oculus eiusdē existentis in summitate ma
libene videbit signū illud. Sed oculus existentis iuxta pedē mali
melius deberet videri signum q̄z qui est in summitate: sicut ꝓz per
lineas ductas ab vtroq̄z ad signū: ꝛ nulla alia huius rei causa est
q̄z tumor aquę. Excludanť enī oīa alia impedimēta: sicut nebulę ꝛ
vapores ascēdentes ¶ Itē cū aqua sit corpus homogeneū totum

cū partibus eiusdē erit rōnis: sed ptes aquę sicut in guttulis ꝛ roꝛi bus herbaꝝ accidit: rotundā naturaliter appetunt formā: ergo et totum cuius sunt partes.

¶ Qō terra sit centrum mundi.

¶ Qō aūt terra sit i medio firmamēti sita sic pz. Existentibꝰ i supficie terrę stellę apparēt eiusdē q̄ntitatis siue sint i medio cęli: siue iuxta oꝛtū: siue iuxta occasū: ꝛ hoc qꝛ t̄ra ęq̄liť distat ab eis. Si enī terra magis accederet ad firmamētū i vna pte q̄z i alia aliqs exīs i alia pte supficiei terrę q̄ magis accederet ad firmamētū nō videret cęli medietatē: sed hoc ē ꝺ̄ Ptolemeū ꝛ oēs philosophos dicē tes qꝫ vbicunqz existat homo sex signa oꝛiunť ei: ꝛ sex occidunt: et medietas cęli semp apparet ei: medietas vero occultať. Illud item ē signū qꝫ terra sit tanq̄z centꝝ ꝛ punctus respectu firmamenti: qꝛ si terra esset alicuius quātitatis respectu firmamenti: nō contingeret medietatē cęli videri. Item si intelligať supficies plana supꝫ cē trū terrę diuidens eā in duo equalia: ꝛ per cōsequēs ipsum firmamentū. oculus igitur existens in centro terrę videret medietatem firmamenti. Idemqz existens in supficie terrę videret eandē medietatē. Ex his colligitur qꝫ insensibilis ē quātitas terrę quę ē a superficie ad centrū: ꝛ per cōsequēs quātitas totius terrę insensibilis est respectu firmamenti. Dicit etiā Alfraganus qꝫ minima stellarum fixarum visu notabilium maioꝛ est tota terra: sed ipsa stella respectu firmamenti est quasi punctus: multo igitur foꝛtius terra: cum sit minoꝛ ea.

De immobilitate terrae:

¶ Qō aūt terra in medio omniū immobiliter teneať: cū sit summe grauis: sic psuaderi videť esse eius grauitas. Omne enī graue tendit naturaliter ad centrū. Centrū quidē punctus ē in medio firmamēti: terra igiť cū sit sūme gravis: ad punctū illum naturaliter tendit. Item quicquid a medio mouetť versus circūferentiam cęli ascēdit: terra a medio mouetť ergo ascēdit qō ꝓ impossibili relinquiť

De quantitate absoluta terrae.

¶ Totus ãt terrę ambitus auctoritate Ambrosij Theodosij Macrobij ꝛ Euristenis philosophoꝝ. 252000. stadia cõtinere diffinit Vnicuiqꝫ quidẽ. 360. partiũ zodiaci. 700. deputando stadia. Sũpro eni astrolabio i stellatę noctis claritate per vtrũqꝫ mediclinij foramen polo perspecto notet graduũ multitudo in qua steterit medicliniũ: deinde ꝓcedat cosmimetra directe contra septẽtrionẽ a mẽridie donec in alterius noctis claritate viso vt prius polo sterit altius vno gradu mediclinii. post hoc mensus sit huius itineris spacium: ꝛ inuenietꝫ. 700. stadioꝝ. deinde datis vnicuiqꝫ. 360. graduũ tot stadijs terreni orbis ambitus inuentus erit. Ex his autẽ iuxta circuli ꝛ diametri regulam: terrę diameter sic inueniri poterit. Aufer vigesimã secundã partẽ de circuitu terrę: ꝛ remanẽtis tertia ps. hoc ẽ. 8018. stadia ꝛ semis ꝛ tertia vnius stadij erit terreni orbis diameter siue spissitudo.

¶ Capitulum secundũ de circulis ex quib⁹ sphaera materialis cõponitur. Et illa supcaelestis quae per istam imaginatur componi intelligitur.

Horũ aũt circuloꝝ: quidã sũt maiores: quidã minores: ut sensui pz. Maior eni circulus in sphęra dicit qui descriptus in supficie sphęrę super eius centrum diuidit sphęrã in duo ęqualia. Minor vero qui descriptus in superficie sphęrę cam non diuidit i duo ęqualia: sed in portiones inęquales. Inter circulos vero maiores primo dicẽdũ est de ęquinoctiali. Est igitur ęquinoctialis circulus quidã diuidens sphęram in duo ęqualia secũdũ quãlibet sui ptem ęquidistans ab vtroqꝫ polo. Et dicit ęquinoctialis. quoniã quando sol transit per illũ: qđ est bis in anno in principio arietis scilicet ꝛ in principio librę: est ęquinoctiũ in vniuersa terra. Vnde etiam appellatur ęquator diei ꝛ noctis: qr adęquat dié artificialẽ nocti. Et dicit cingulus primi motus. Vnde sciendũ qꝑ primus motus

dicit motus primi mobilis: hoc est nonę sphęrę sive cęli vltimi: qui est ab oriente per occidentē rediens iterū in orientē: qui etiam dicitur motus rationalis: ad similitudinē motus rōnis qui est in microcosmo. id est in homine. scz quando fit consideratio a creatore per creaturas in creatorē ibi sistendo. Secundus motus firmamenti ꝛ planetaꝝ cōtrarius huic est ab occidente per orientem iterum rediens in occidentē. qui motus dicit irrōnalis sive sensualis: ad similitudinem motus microcosmi. qui est a corruptibilibus ad creatorem iterum rediens ad corruptibilia. Dicitur ergo cingulus primi motus: quia cingit sive dividit primum mobile. scilicet sphęram nonam in duo ęqualia ęquidistans a polis mundi. Vnde notandum qꝫ polus mundi qui nobis semper apparet: dicitur polus septentrionalis: arcticus: vel borealis. Septentrionalis dicitur a septentrione: hoc ē minori vrsa: qui dicitur a septē ꝛ trion: quod est bos: quia septē stellę quę sunt in vrsa tarde moventur ad modū bouis: cū sint propinquę polo. Vel dicunt illę septem stellę septentriones: quasi septē teriones: eo qꝫ terunt ptes circa polum. Arcticus quidē dicitur ab arctos qđ est maior vrsa. Est eni iuxta maiorē vrsā. Borealis vero dicit. qꝛ est in illa parte a qua venit boreas. Polus vero oppositus dicit antarcticus: quasi cōtra arcticū positus. dicit ꝛ meridionalis. qꝛ ex pte meridici ē. dicitur etiā australis: qꝛ est in illa pte a qua venit auster. Ista igitur duo puncta in firmamento stabilia: dicuntur poli mundi: qꝛ sphęrę axem terminant: ꝛ ad illos voluitur mundus: quoꝝ vnus semp nobis apparet: reliquus vero semp occultat. Vnde Virgili⁹ in ꝑmo georgicoꝝ. Hic vertex nobis semper sublimis: at illum Sub pedibus styx atra vident manesqꝫ ꝓfundi.

De zodiaco circulo.

¶ Est ali⁹ circul⁹ in sphęra qui itersecat ęquinoctialē ꝛ intersecat ab eodē i duas ptes ęquales ꝛ vna ci⁹ medietas declinat versus septētrionē: alia versus austrū: ꝛ dicit iste circulus zodiacus a zoe

qđ est vita: qz ꝺm motū planetaꝝ sub illo est oīs vita in rebus in/
ferioribus. Vel dicit̄ a zodion qđ est animal: qz cū diuidat̄ in. 12.
ptes ęquales quęlibet pars appellat̄ signū: ꝛ nomē habet speciale
a nomine alicuius animalis: ꝓpter ꝓpꝛietatē aliquā cōuenientē
tam ipsi q̄z animali: vel ꝓpter dispositionem stellaꝝ fixaꝝ in illis
partibus ad modū huiusmodi animaliū. Iste vero circulus latine
dicit̄ signifer: qz fert signa: vel quia diuidit̄ in ea. Ab Aristotele ve
ro in libꝛo de generatione ꝛ corꝛuptione dicitur circulus obliquus
vbi dicit ꝙ secundū accessum ꝛ recessum solis in circulo obliquo fi
unt generationes ꝛ corꝛuptiones in rebus inferioꝛibus. Nomina
autem signoꝝ: ordinatio: ꝛ numerus in his patent versibus. Sunt
arics taurus gemini cancer leo virgo: Libraq̄z scoꝛpius arcbitenēs
caper amphoꝛa pisces. Quodlibet autē signū diuidit̄ in. 30. grad⁹
Vnde patet ꝙ in toto zodiaco sunt. 360. gradus. Secūdū autem
astronomos itez quilibet gradus dividit̄ in. 60. minuta: quodlibz
minutū in. 60. secunda: qōlibet secundū i. 60. tertia: ꝛ sic deinceps
vsqz ad. 10. ꝛ sicut diuiditur zodiacus ab astronomo. ita ꝛ quilibet
circulus i sphęra: siue maioꝛ siue minoꝛ i partes cōsimiles. cū oīs
etiā circulus i sphęra pręter zodiacum itelligatur sicut linea vt cir/
cūferentia: solus zodiacus intelligitur vt supficies habēs in latitu
dine sua. 12. gradus. de cuiusmodi gradibus iā locuti sumus. Vn/
de patet ꝙ quidā mentiunt̄ in astrologia dicētes signa cē quadra
ta: nisi abutentes noie idem appellent quadratū ꝛ quadrangulum
Signum enim habet. 30. grad⁹ in lōgitudine. 12. vero in latitudi/
ne. Linea autē diuidēs zodiacū in circuitu ita ꝙ ex vna pte sui re
linquat sex gradus: ꝛ ex alia parte alios sex. dicitur linea ecliptica:
quoniam quando sol ꝛ luna sunt linealiter sub illa: contingit ecli/
psis solis aut lunę. Solis: vt si fiat nouilunium ꝛ luna interpona/
tur recte inter aspectus nostros ꝛ coꝛpus solare. Lunę: vt in ple/
nilunio: quando sol lunę opponitur diametraliter. Vnde ecli/
psis lunę nibil aliud ē q̄z interpositio terrę iter coꝛp⁹ solis ꝛ lunę.

Sol quidē ſemper decurrit ſub ecliptica oēs alij planetę declinant vel verſus ſeptentrionem: vel verſus auſtrum. quandoqz autem ſunt ſub ecliptica. Pars vero zodiaci quę declinat ab equinoctiali verſus ſeptentrionē dicit̄ ſeptētrionalis :vel borealis: vel arctica: Et illa ſex ſigna quę ſunt a principio arietis vſqz in finez virginis dicuntur ſigna ſeptentrionalia. Alia pars zodiaci quę declinat ab equinoctiali verſus meridiē dicit̄ meridionalis :vel auſtralis :vel antarctica. Et ſex ſigna que ſunt a principio libre vſqz in finem piſcium dicūtur meridionalia vel auſtralia. Cū aūt dicitur q̄ in arie te eſt ſol: vel in alio ſigno. Sciendū q̄ hec prępoſitio in. ſumit̄ pro ſub. ſecundū q̄ nunc accipimus ſignū. In alia autē ſignificatione dicitur ſignum pyramis quadrilatera: cuius baſis eſt illa ſupficies quā appellamus ſignum: vertex vero eius eſt in centro terrę. Et ſecundum hoc propie loquendo poſſumus dicere planetas eſſe in ſignis. Tertio modo dicit̄ ſignum vt intelligant̄ ſex circuli tranſeuntes ſuper polos zodiaci: z per principia. 12. ſignoz. Illi ſex circuli diuidūt totā ſupficiē ſphęre in. 12 partes latas ī medio: artiores vero iuxta polos zodiaci: z quelibet pars talis dicit̄ ſignum et nomē habet ſpeciale a nomine illi⁹ ſigni: qō intercipitur inter duas lineas. Et ꝟm hanc acceptionē: ſtellę que ſūt iuxta polos dicunt̄ cē in ſignis. Itēm intelligatur corpus quoddā: cuius baſis ſit ſignū: ſecūdū q̄ nunc vltimo accepimus ſignū: acumen vero ei⁹ ſit ſuper axem zodiaci. Tale igit̄ corpus in quarta ſignificatiōe dicitur ſignū: ꝟm quā acceptionē totus mund⁹ diuidit̄ in. 12. partes equales q̄ dicūt̄ ſigna: z ſic quicquid ē in mūdo ē in aliquo ſigno.

De duobus coluris.

Sūt aūt alij duo circuli maiores ī ſphęra q̄ dicunt̄ coluri: quoz officiū ē diſtinguere ſolſticia z eq̄noctia. Dicit̄ aūt colur⁹ a colon grece qō ē mēbz: z vros qō ē bos ſilueſter: qz quēadmodum cauda bouis ſilueſtris erecta. que eſt eius membrum facit ſemicirculum z non perfectum: ita colurus ſemper apparet nobis imperfectus

quoniá solũ vna eius medictas apparet:alia vẽro nobis occultaẽ Colurus igiẽ distinguens solsticia transit per polos mundi:ꝑ polos zodiaci:ꝛ maximas solis declinationes .hoc ẽ per primos gradus cancri ꝛ capricorni. Vnde primus punct⁹ cancri vbi colurus iste intersecat zodiacum dicitur punctus solstitij ęstiualis:qꝛ quando sol est in eo: ẽ solstitiũ ęstiuale:ꝛ nõ põt sol magis accedere ad zenith capitis nostri. Est autẽ zenith punct⁹ in firmamẽto directe suprapositus capitibus nostris . Arcus vero coluri qui intercipiẽ inter punctũ solstitij ęstiualis ꝛ ęquinoctialem:appellaẽ maxima solis declinatio. Et est scõm Ptolemeũ .23.graduũ:ꝛ.51.minutorum.Secundũ Almeonẽ vero.23.graduũꝛ.33.minutoꝝ.Siꝛ p̃m⁹ punctus capricorni:vbi idẽ colurus ex alia pte intersecat zodiacuꝫ dicitur punctus solstitij hyemalis:ꝛ arcus coluri interceptus inter punctũ illũ ꝛ ęquinoctialẽ dicit alia maxima solis declinatio:ꝛ est ęqualis priori. Alter quidẽ colurus transit per polos mundi:ꝛ per prima puncta arietis ꝛ libręꝫ :vbi sunt duo ęquinoctia: vnde appellaẽ colurus distinguens ęquinoctia. Isti autẽ duo coluri intersecant se se sup polos mundi ad angulos rectos spherales. Signa quidem solsticioꝝ ꝛ ęquinoctioꝝ patẽt his versibus. hęc duo solsticia faciũt cãcer capricorn⁹ sed noctes ęquãt aries ꝛ libra diebus.

¶De meridiano ꝛ horizonte.

¶ Sunt itẽꝝ duo alij circuli maiores in sphęra .s.meridianus: et horizon. Est aũt meridianus.circulus quidã trãsiens ꝑ polos mũdi:ꝛ ꝑ zenith capitis nostri. Et dicit meridian⁹:qꝛ vbicũqꝫ sit homo: ꝛ in quocunqꝫ tpe anni quãdo sol motu firmamenti peruenit ad suum meridianum ẽ illi meridies. Consimili ratione dicit̃ circulus medię diei. Et notandũ ꝙ ciuitates quaꝝ vna magis accedit ad orientem q̃ꝫ alia habent diuersos meridianos. Arcus vero ęquinoctialis interceptus inter duos meridianos dicitur longitudo ciuitatum. Si autem duę ciuitates eundem habeant meridianuꝫ tunc ęqualiter distant ab oriente ꝛ occidente. ¶ horizon vero

ē circulus diuidens inferius hemisperiū a supiori. Unde appellaī horizon. id est terminator visus. Dicitur etiam horizon circulus hemisperij. Est autem duplex horizon: rectus ⁊ obliquus siue declinis. Rectum horizonta. ⁊ sphęram rectam habent illi quorum zenith est in ęquinoctiali: quia illorum horizon est circulus transiens per polos mundi diuidens ęquinoctialem ad angulos rectos sphęrales. vnde dicitur horizon rectus: ⁊ sphęra recta. Obliquum horizonta siue decliuem: habent illi quibus polus mundi elcuatur supra horizontem: quoniam illorum horizon intersecat ęquinoctialem ad angulos impares ⁊ obliquos. vnde dicitur horizon obliquus: ⁊ sphęra obliqua siue decliuis. ¶ Zenith autē capitis nostri semper est polus horizontis. Unde ex his patet qꝫ quanta est elcuatio poli mundi supra horizontē: tanta est distantia zenith ab ęquinoctiali. quod sic patet. Cum in quolibet die naturali vterqꝫ colurus bis iungatur meridiano: siue idem sit qđ meridianus. quicquid de vno probatur: ⁊ de reliquo. Sumaī igitur quarta pars coluri distinguentis solsticia que est ab ęquinoctiali vsqꝫ ad polum mundi. Sumatur itęꝫ quarta pars eiusdē coluri quę est a zenith vsqꝫ ad horizontē: cum zenith sit polus horizontis. Istę due quartę cum sint quartę eiusdē circuli: inter se sunt ęquales. Sꝫ si ab ęqualibus ęqualia demantur: vel idē commune: residua erūt ęqualia: dempto igitur cōi arcu. scꝫ qui est inter zenith ⁊ polū mundi: residua erunt ęqualia. scilicet elcuatio poli mundi supra horizōtem: ⁊ distantia zenith ab ęquinoctiali.

¶ De quatuor circulis minoribus.

¶ Dicto de sex circulis maioribꝰ: dicendū ē de quattuor minoribꝰ. Notādū igiī qꝫ sol existēs in p̄mo puncto cācri: siue i puncto solsticij ęstiualis: raptu firmamēti describit quēda circulū q̄ vltimo descriptꝰ ē a sole ex parte poli arctici. Uñ appellaī circulus solsticij ęstiualis rōne superius dicta: vel tropicus ęstiualis a tropos qđ ē cōuersio: qꝫ tunc sol incipit se conuertere ad inferius hemisperium

ꝛ recedere a nobis. Sol iterum existens in primo puncto capricor
ni siue solsticij hyemalis: raptu firmamenti describit quendam cir
culū qui vltimo describit a sole ex pte poli antarctici. Ꝫñ appellaꝫ
circulus solstitij hyemalis siue tropicus hyemal': qꝛ tūc sol cōuertit
ad nos. Cū autez zodiacus declinet ab equinoctiali: ꝛ polus zodia
ci declinabit a polo mundi. Cum igitur moueaꝫ octaua sphera: et
zodiacus qui est pars octauę sphere mouebitur circa axem mūdi:
ꝛ polus zodiaci mouebitur circa polum mundi. Iste igiꝫ circulus
qué describit polus zodiaci circa polum mundi arcticū dicit circu/
lus arcticus. Ille vero circulus quem describit alter polus zodiaci
circa polum mundi antarcticū dicitur circulus antarctic⁹. Quan/
ta est etiā maxima solis declinatio. scz ab equinoctiali: tanta ē di/
stantia poli mundi ad polum zodiaci: quod sic patet. Sumaꝫ co/
lurus distinguens solsticia qui transit per polos mundi: ꝛ per po/
los zodiaci. Cum igitur omnes quartę vnius ꝛ eiusdem circuli in/
ter se sint equales: quarta huius coluri: quę est ab equinoctiali vs/
qz ad polum mundi erit equalis quartę eiusdem coluri: quę ē a pri
mo puncto cancri vsqz ad polū zodiaci. Igitur ab illis equalibus
dempto cōmuni arcu qui est a primo puncto cancri vsqz ad polu
mundi: residua erunt equalia. scz maxima solis declinatio: ꝛ distā
tia poli mundi ad polum zodiaci. Cum autez circulus arcticus se/
cundū quālibet sui partem equidistet a polo mundi patet ꝙ illa
pars coluri que est inter primū punctum cancri: ꝛ circulum arcticū
fere est dupla ad maximā solis declinationem. siue ad arcū eiusdē
coluri qui intercipitur inter circulum arcticum ꝛ polum mundi ar/
cticum: qui etiā arcus equalis est maxime solis declinationi. Cum
ens colurus iste sicut alij circuli ī sphera sit. 360. graduū ꝗrta eius
erit. 90. graduū. Cum igitur maxima solis declinatio secūdū Pto/
lomeum sit. 23. graduū ꝛ. 51. minutoꝝ: ꝛ totidem graduum sit ar/
cus qui est inter circulū arcticū: ꝛ polum mūdi arcticū: si ista duo
simul iuncta: quę fere faciunt. 48. gradus subtrahaꝫ a. 90. residuū

crũt.42.gradus:quãt⁹ ẽ arc⁹coluri:qui ẽ inter p̃mũ punctũ cancri ꝛ circulũ arcticũ.ꝛ sic pz ꝙ ille arc⁹ fere dupl⁹ est ad maximã solis declinationẽ. ¶Notandũ ꝙ ęquinoctialis cũ q̃tuor circulis minoꝛib⁹ dicuntur quinqz paralelli quasi ęquidistãtes: nõ quia quantũ primus distat a secundo:tantum secundus distet a tertio . qꝛ hoc falsum est sicut iam patuit.sed quia quilibet duo circuli simul iuncti secundũ quãlibet sui partẽ ęquidistant abinuicẽ ꝛ dicunt̃ paralellus ęquinoctialis:paralellus solstitij ęstiualis.paralellus solstitij hyemalis:paralellus arcticus:ꝛ paralellus antarcticus. ¶Notandũ etiã ꝙ quattuoꝛ paralelli minoꝛes sc̃z duo tropici: ꝛ paralellus arcticus:ꝛ paralellus antarcticus distinguũt in ęlo quinqz zonas siue regiones.Unde Virg.in georgic̃. Quinqz tenent ęlũ zonę:quaꝝ vna coꝛusco.Semper sole rubens:ꝛ toꝛrida semper abigni. Distinguũtur etiã totidẽ plagę in terra directe prędictis zonis suppositę. Unde Onidi⁹ p̃mo methamoꝛphoseoꝝ.Totidẽqz plagę tellure pręmuntur. Quaruz quę media est.nõ est habitabilis estu.Nix tegit alta duas:totidem inter vtrasqz locauit.Temperiemqz dedit mixta cum frigoꝛe flamma . ¶Illa igitur zona quę est inter duos tropicos dicitur inhabitabilis ꝓpter caloꝛem solis discurrẽtis semper inter tropicos. Similit̃ plaga terrę illi directe suppositа dicitur inhabitabilis ꝓpter caloꝛem solis discurrentis super illam. Illę vero duę zonę quę circumscribuntur a circulo arctico: ꝛ circulo antarctico circa polos mundi. inhabitabiles sunt ꝓpter nimiam frigiditatem: quia sol ab eis maxime remouetur. Similit̃ intelligendũ est de plagis terrę illis directę suppositis. Illę autem duę zonę.quarum vna est inter tropicum ęstiualem ꝛ circulum arcticum:ꝛ reliqua quę est inter tropicum hyemalem ꝛ circulum antar ticum habitabiles sunt:ꝛ temperatę caliditate tꝛiderę zonę existentis inter tropicos ꝛ frigiditate zonarum extremarum quę sunt circa polos mundi . Idem intellige de plagis terrę illis directe suppositis.

121

¶ Capitulum tertium de ortu ⁊ occasu signorum: de diuersitate dierum ⁊ noctium. ⁊ de diuersitate climatum.

Signoꝝ aũt ortus ⁊ occasus dupliciter accipiť: quoniã quãtũ ad poetas: ⁊ quãtũ ad astronomos. Est igiť ortus ⁊ occasus signoꝝ quo ad poetas triplex scz cosmicus: chronic⁹: ⁊ eliacus. Cosmicus eni ortus: siue mundanus ẽ: qñ signũ vl stella supra horizontẽ ex pte orientis de die ascendit. Et licz i qualibet die artificiali sex signa sic oriant̃: tamẽ antonomastice signũ illud dicit̃ cosmice oriri cũ quo ⁊ in quo sol mane oritur. Et hic ortus proprius ⁊ principalis ⁊ quottidianus dicit̃. De hoc ortu exemplũ i georgicis habet̃: vbi docet̃ satio fabaꝝ ⁊ milij in vere sole existente i tauro sic. Candidus auratis aperit cũ cornibus annũ. Taurus: ⁊ adverso cedens canis occidit astro. Occasus vero cosmicus ẽ respectu oppositionis scz quando sol oriť cum aliquo signo: cuius signi oppositum occidit cosmice. De hoc occasu dicitur i georgicis. vbi docet̃ satio frumenti in fine autumni sole existente in scorpione: qui cũ oriat̃ cũ sole taurus signi eius oppositũ vbi sũt pleiades occidit: sic. Ante tibi eoe atlantides abscondantur Debita: q̃z sulcis cõmittas semina. Chronicus ortus: siue tẽporalis est: qñ signũ vel stella post solis occasum supra horizontẽ ex pte orientis emergit chronice scz de nocte: ⁊ dicitur temporalis: qr tempus mathematicoꝝ nascitur cũ solis occasu. De hoc ortu habemus in Ouidio de ponto. vbi conqueriť morã exilij sui dicens. Quattuor autumnos pleias orta facit. Significãs ꝑ quattuor autũnos quadragintaq̃tuor annos transisse postq̃z missus erat in exiliũ. Sed Virgilius voluit in autũno pleiades occidere: ergo cõtrarij videnť. Sed ratio huius ẽ ꝙ secũdũ Virgiliuz occidũt cosmice: Secũdũ Ouidiũ oriunť chronice. qõ bene põt ꝓtingere eodẽ die. Sed differẽter tñ qr cosmic⁹ occasus ẽ respectu tpis matutini. Chronic⁹ vero ortus respectu vespertini est. Chronicus occasus ẽ respectu oppositiõis.

Vñ Lucanus sic inquit. Tunc nox thessalicas vrgebat parua sagittas. Eliacus ortus: siue solaris: est quando signū vel stella videri potest per elongationē solis ab illo: qđ prius videri nō poterat solis ꝓpinquitate. Exemplū huius ponit Ouidius in libro de fastes sic. Jam leuis obliqua subsedit aquarius vrna. Et Virgili⁹ in georgicis. Cnosiaqꝫ ardentis descendit stella coronę. Quę iuxta scorpionē existens nō videbat: dum sol erat i scorpione. Occasus eliacus é: quādo sol ad signū accedit: ꝛ illud sua ꝓsentia ꝛ luminositate videri nō ꝑmittit. Huius exemplū est in versu ꝓmisso. scz. Taurus ꝛ aduerso cedens canis occidit astro.

¶ De ortu ꝛ occasu signorum ſecundū astrologos.

¶ Sequit de ortu ꝛ occasu signoꝝ ꝑut sumūt Astronomi: ꝛ prius in sphęra recta. Sciendū é ꝙ tam in sphęra recta q̄ꝫ obliqua ascēdit ęquinoctialis circulus semꝑ vniformiter: scz in tēporibus equalibus ęquales arcus ascendunt. Motus eni cęli vniformis é: ꝛ angulus qué facit ęquinoctialis cū horizonte obliquo nō diuersificatur in aliquibus horis. Partes vero zodiaci nō de necessitate habent ęquales ascēsiones in vtraqꝫ sphęra: qꝛ quāto aliqua zodiaci pars rectius oritur: tanto plus tēporis ponit i suo ortu. Huius signum est: qꝛ sex signa oriunt in longa vel breui die artificiali. similiter ꝛ in nocte. ¶ Notandū igit ꝙ ortus vl occasus alicuius signi nihil aliud est q̄ꝫ illā ptē ęquinoctialis oriri quę oritur cum illo signo oriente: vel ascēdente supra horizontē: vel illam partem ęquinoctialis occidere quę occidit cū altero signo occidente. id é tendēte ad occasum sub horizonte. Signum autem recte oriri dicitur cū quo maior pars ęquinoctialis oritur: obliquę vero cū quo minor Similit etiam intęlligendū é de occasu. ¶ Et est sciendū ꝙ i sphęra recta quattuor zodiaci inchoate quattuor pūctis: duob⁹ scz solsticialibus ꝛ duob⁹ ęquinoctialib⁹ adęquant suis ascēsionib⁹. id é quantum temporis consumit quarta zodiaci in suo ortu: in tanto

123

tẽpore quarta ęquinoctialis illi cõterminalis peroriẽ. sed tñ partes illaꝝ quartaꝝ variant: neqꝫ habẽt ęquales ascẽsiones: sicut iã patebit. Est eni regula. quilibet duo arcus zodiaci ęquales ⁊ ęqualiter distantes ab aliquo quatuor punctoꝝ iam dictoꝝ ęquales habent ascensiones Et ex hoc sequitur ꝙ signa opposita ęquales habent ascẽsiones. Et hoc ẽ qđ dicit Lucanus loquẽs de ꝓcessu Catonis i Libyã versus ęquinoctialẽ. Non obliqua meant: nec tauro rectior exit Scorpius: aut aries donat sua tpa libræ: Aut astrea iubet lentos descendere pisces. Par geminis chiron: ⁊ idẽ qđ charcinus ardens. humidus ęzloceros: nec plus leo tollitur vna. Hic dicit Lucanus ꝙ existentibꝰ sub ęquinoctiali signa opposita ęq̃les habent ascẽsiones ⁊ occasum. Oppositio aũt signoꝝ habeẽ ꝑ hunc versũ. Est li.ari.scor.tau.sa.gemi.capri.can.a.lc.pis.vir. Et notandũ ꝙ nõ valet talis argumẽtatio. Isti duo arcus sunt ęquales: ⁊ simul incipiunt oriri: ⁊ semꝑ maior ꝑs oriẽ de vno q̃ꝫ de reliquo: ergo ille arcus citius poriet̃ cuius maior ꝑs semꝑ oriebaẽ. Instantia huius argumẽtationis manifesta est in partibꝰ prędictaꝝ quartarũ. Si eni sumaẽ quarta ꝑs zodiaci: quę ẽ a principio arietis vsqꝫ ad finẽ geminoꝝ: semꝑ maior ꝑs oriẽ de quarta zodiaci q̃ꝫ de quarta ęquinoctialis sibi ꝯterminali: ⁊ tñ illę duę quartę simul periunt Idẽ intellige de quarta zodiaci quę ẽ a principio libræ vsqꝫ i finẽ sagittarij. Itẽ si sumaẽ quarta zodiaci quę ẽ a principio cãcri vsqꝫ in finẽ virginis: semꝑ maior ꝑs oritur de quarta equinoctialis q̃ꝫ de quarta zodiaci illi cõterminali: ⁊ tamẽ illę duę quartę simul periunt. Idẽ intellige de quarta zodiaci quę ẽ a primo puncto capricorni vsqꝫ in finẽ piscium. ¶ In sphęra autẽ obliqua siue decliui duę medietates zodiaci adequãtur suis ascẽsionibus. Medietates dico quę sumunt̃ a duobus punctis ęquinoctialibus: qꝝ medietas zodiaci: quę est a prin ipio arietis vsqꝫ in finẽ virginis oritur cum medietate ęquinoctialis sibi conterminali. Similiter alia medietas zodiaci oritur cum reliqua medietate ęquinoctialis. Par/

tes autē illarum medietatū variant̄ secundum suas ascensiones: quoniā in illa medietate zodiaci: quę est a principio arietis vsq; in finē virginis semp maior ps orit̄ de zodiaco q̄z de equinoctiali: et tamē ille medietates simul poriunt̄. Ecōuerso cōtingit in reliqua medietate zodiaci: quę est a principio libre vsq; ad finem piscium: semper enī maior pars oritur de equinoctiali q̄z de zodiaco: z ta/men illę medietates simul peroriunt̄. Vnde hic patet instantia facta manifestior contra argumentationē superius dictā: Arcus autem qui succedunt arieti vsq; ad finē virginis in sphęra obliqua minuūt ascensiones suas supra ascēsiones eorundem arcuum in sphęra recta: quia minus oritur de equinoctiali. Et arcus q̄ succe/dunt libre vsq; ad finē piscium in sphęra obliqua augent ascensi/ones suas supra ascēsiones eorūdē arcuū in sphęra recta: q; plus orit̄ de equinoctiali. Augent dico secundū tantā quantitatē i quā ta arcus succedentes arieti minuunt. Ex hoc p; q; duo arc⁹ equales z oppositi in sphęra decliui habent ascensiones suas iunctas equales ascensionibus eorundē arcuū in sphęra recta simul sumptis: q; quanta est diminutio ex vna pte: tanta ē additio ex altera Licet enī arcus inter se sint equales: tamen quantum vnus minor est tantum recuperat alius: z sic patet adequatio. Regula quidem est in sphęra obliqua q; quilibet duo arc⁹ zodiaci equales z equa/liter distantes ab alterutro punctoꝝ equinoctialiū equales habēt ascensiones. Ex predictis etiā patet q; dies naturales sunt iequa/les. Est enī dies naturalis reuolutio equinoctialis circa terram semel cum tanta zodiaci parte quanta interim sol pertransit motu proprio contra firmamentum. Sed cum ascensiones illorū arcuū sint inequales: ut patet per prędicta tam in sphęra recta q̄z i obli/qua. z penes additamenta illaꝝ ascensionum considerentur: dies naturales illi de necessitate erunt inequales. In sphęra recta pro/pter vnicā causam. s. p: opter obliquitatem zodiaci. In sphęra vero obliqua ꝓpter duas causas scz ꝓpter obliquitatem zodiaci: z

125

obliquitatē horizōtis obliqui. Tertia solet assignari causa eccentri citas circuli solis. ¶ Notandū ctiā qꝫ sol tendens a primo puncto capricorni per arietē vsqꝫ ad primū punctum cancri: raptu firma menti describit. 182. paralellos. qui etiā paralelli: ꝛ si nō omnino sint circuli sed sphęrę: cū tamen non sit in hoc error sensibilis: in hoc vis non constituatur: si circuli appellentur: de numero quorū circulorum sunt duo tropici: ꝛ vnus ęquinoctialis. Item iam dictos circulos describit sol raptu firmamenti descendens a primo puncto cancri per libra vsqꝫ ad primum punctū capricorni. Et isti circuli dierum naturalium circuli appellant. Arcus autē qui sunt supra horizontem sunt arcus diey artificialium. Arcus vero q sūt sub horizonte sunt arcus noctium. In sphęra igitur recta cū horizon sphęrę rectę transeat per polos mundi: dividit oēs circulos istos in partes ęquales. Unde tanti sunt arcus dierum: quāti sūt arcus noctium apud existentes sub ęquinoctiali. Unde patet qꝫ existentibus sub ęquinoctiali in quacunqꝫ parte firmamenti sit sol est semper ęquinoctiū. In sphęra autē declini horizon obliquus dividit solū ęquinoctialē in duas ptes ęquales. Unde quando sol est in alterutro punctoꝝ ęquinoctialiū: tunc arcus diei ęquatur arcui noctis: ꝛ est ęquinoctiuꝫ in vniuersa terra. Omnes vero alios circulos dividit horizon obliqu⁹ in partes inęquales: ita qꝫ ī oib⁹ circulis qui sunt ab ęquinoctiali vsqꝫ ad tropicum cancri: ꝛ ī ipso tropico cancri maior est arcus diei q̄ꝫ noctis. id est arcus supꝫ horizontem q̄ꝫ sub horizonte. Unde in toto tempore quo sol movet a principio arietis per cancrū vsqꝫ in finē virginis maiorantur dies supra noctes: ꝛ tanto plus quanto magis accedit sol ad cancrū: et tanto minus quanto magis recedit. Ęquerso aūt se habet de diebus ꝛ noctibus dum sol est in signis australibus In omnib⁹ alijs circulis quos sol describit inter ęquinoctialē ꝛ tropicū capricorni maior est circulus sub horizonte ꝛ minor supra. vnde arcus diei ē minor q̄ꝫ arcus noctis. Et secundum proportionē arcuū minorā

dies supra noctes. ⁊ quanto circuli sunt propinquiores tropico hy
emali: tanto magis minorantur dies. Unde videtur qꝫ si sumãtur
duo circuli equidistantes ab equinoctiali ex diuersis partib⁹ quã/
tus est arcus diei in uno: tantus est arcus noctis in reliquo. Ex hoc
sequi videtur qꝫ si duo dies naturales sumantur in anno equali/
ter remoti ab alterutro equinoctiorum in oppositis partib⁹ quan
ta est dies artificialis unius. tanta est nox alterius: ⁊ econuerso.
Sed hoc est quantũ ad vulgi sensibilitatem in horizontis fixione
Ratio enim per ademptionem solis contra firmamentum in obli
quitate zodiaci verius diiudicat. Quanto quidem polus mundi
magis eleuatur supra horizontẽ tanto maiores sunt dies estatis
quando sol est in signis septentrionalib⁹. Sed est econuerso quan
do est in signis australibus: tanto enim magis minorantur dies
supra noctes. ¶ Notãdũ etiã qꝫ sex signa quę sunt a principio can
cri per libram usqꝫ in finẽ sagittarij habent ascensiões suas i sphę
ra obliqua simul iunctas maiores ascẽsionibus sex signorum quę
sunt a principio capricorni p arietẽ usqꝫ ad finẽ geminorum Un/
de illa sex signa prius dicta dicunt recte oriri. ista uero sex obliquę
Unde Uirgilius. Recta meant: obliqua cadũt a sidere cancri. Do
nec finitur chiron: sed cętera signa Nascunt prono: descendunt tra
mite recto. Et quando est nobis maxima dies in estate scz sole exi
stente in principio cancri: tunc oriuntur de die sex signa directe ori
entia: de nocte autem sex obliquę. Econuerso quando nobis é mi/
nimus dies in anno scilicet sole existente in principio capricorni:
tunc de die oriunt sex signa oblique orientia: de nocte uero sex di
recte. Qñ aũt sol é i alterutro punctoꝝ equinoctialium: tũc de die
oriuntur tria signa directe orientia: ⁊ tria oblique. ⁊ de nocte si/
militer. Est enim regula. quantumcunqꝫ breuis uel prolixa sit di/
es uel nox sex signa oriunt de die ⁊ sex denocte. nec ꝓpter plixita
tẽ uel breuitatem diei uel noctis plura uel pauciora signa oriunt.

187

ſit ſpacium tẽporis i quo medietas ſigni peroritur : i qualibet die artificiali :ſimiliter ꝛ in nocte ſunt. 12. horę naturales. In omnibus autẽ alijs circulis qui ſunt a latere ęquinoctialis: vel ex parte auſtrali vel ſeptẽtrionali: maiorantur dies vel noctes ſecundũ qꝑ plura vel pauciora de ſignis directe orientibus: vel obliquę de die vel de nocte oriuntur.

De diuerſitate dierum ꝛ noctium quae fit habitantibus in diuerſis locis terrae.

¶ Notandũ autẽ qꝑ illis quorum zenith eſt in ęquinoctiali circulo ſol bis in anno tranſit per zenith capitis eorum. ſcilicet quãdo eſt in principio arietis vel in principio libręꝫ. ꝛ tunc ſunt illis duo alta ſolſtitia. quoniã ſol directe tranſit ſupra capita eorũ. Sunt ite rumꝫ illis duo ima ſolſticia: quando ſol eſt in primis punctis cancri ꝛ capricorni: ꝛ dicunt̃ ima: qꝛ tũc ſol maxime remouet̃ a zenith capitis eorum. Unde ex prędictis ꝑz: cum ſemper habeant ęquinoctium in anno quattuor habebunt ſolſticia: duo alta ꝛ duo ima ꝑatz etiã qꝑ duas habent ęſtates. ſole ſcz exiſtente i alterutro punctorum ęquinoctialium: vel prope. Duas etiã habent hyemes. ſcz ſole exiſtente in p̃mis punctis cancri ꝛ capricorni vł prope. Et hoc eſt quod dicit Alfraganus qꝑ ęſtas ꝛ hyems ſcilicz noſtrę ſunt illis vnius ꝛ eiuſdẽ cõplexionis: quoniã duo tempora quę ſunt nobis ęſtas ꝛ hyems ſunt illis duę hyemes. Unde ex illis verſibus. Lucani patet expoſitio. Deprenſum eſt hũc eſſe locũ quo circul⁹ alti / Solſtitij mediũ ſignoꝝ percutit orbem. Ibi eni appellat Lucan⁹ circulum alti ſolſtitij ęquinoctialem: in quo contingunt duo alta ſolſtitia ſub ęquinoctiali exiſtentibus. Orbem ſignoꝝ appellat zodiacum: quem medium. ideſt mediatum hoc eſt diuiſũ in duo media ęquinoctialis percutit: ideſt diuidit. Illis etiam in anno contingit habere quattuor vmbras. Cum eni ſol ſit i alterutro punctorum ęquinoctialium tunc in mane iacitur vmbra eoꝝ verſus occidentẽ: in veſpere vero ecõuerſo. In meridie vero ẽ illis vmbra ꝑ/

pendicularis cū sol sit supra caput eoꝝ. Cū aūt sol est in signis se/ ptentrionalibus tunc iacitur vmbra eoꝝ versus austrū. Quando est in australibus: tunc iacitur versus septētrionē. Illis aūt oriun tur ꝛ occidunt stellę: quę sunt iuxta polos: sicut ꝛ quibusdam alijs habitantibus circa ęquinoctialem. Vnde Lucanus sic inquit. Tūc furor extremos mouit romanꝰ horestas. Carmenosqz duces: quo rum iam flexus in austrum. Aether non totam mergi tamen aspi cit arcton. Lucet ꝛ exigua velox ibi nocte boctes. Ergo mergitur ꝛ parum lucet. Itē Ouidius de eadez stella. Tingitur oceano custos erimanthidos vrse. Aequoreasqz suo sidere turbat aquas. In situ autez nostro nunq̄z occidunt illę stellę. Vnde Virgilius. hic ver/ tex nobis semper sublimis at illum. Sub pedibus styx atra videt manesqz profundi. ꝛ Lucanus. Axis inocciduus gemina clarissimꝰ arcton. Item Virgilius in georgicis sic inquit. Arctos oceani me/ tuentes ęquore mergi.

Quoꝝ zenith est inter aequinoctialē ꝛ tropicū cācri.

¶ Illis autem quorum zenith est inter ęquinoctialem ꝛ tropicum cancri contingit bis in anno q̄ sol transit per zenith capitis eorum quod sic pz. Intelligaī circulus paralellus ęquinoctialis transiēs per zenith capitis eoꝝ: ille circulus intersecabit zodiacū in duobꝰ locis ęquidistantibus a principio cancri. Sol igiī existens in illis duobus punctis transit p zenith capitis eoꝝ. Vnde duas habent ęstates: ꝛ duas hyemes: quattuor solsticia: ꝛ quattuor vmbras: si/ cut existentes sub ęquinoctiali. Et in tali situ dicūt ꝙ quidā Arabiā esse. Vnde Lucanus loquens de arabibus venientibus Romā in auxilium Pompeio dicit. Ignotū vobis arabes venistis ī orbem. Vmbras mirati nemoꝝ non ire sinistras. Quoniā in partibꝰ suis quandoqz erāt illis vmbrę dextrę: quādoqz sinistrę: quādoqz per/ pendiculares: quandoqz orientales: quandoqz occidentales. Sed quando venerant Romam circa tropicum cancri tunc semper ha/ bebant vmbras septentrionales.

Quorum zenith est in tropico cancri.

¶ Illis siquidem quorum zenith est in tropico cancri contingit q̄ semel ī anno transit sol per zenith capitis eorum scilicet quando ć in primo puncto cancri: ꝛ tunc in vna hora dici vnius totiꝰ anni est illis vmbra perpendicularis: In tali situ dicitur Syene ciuitas Vnde Lucanus. Vmbras nusq̄z flectente Syene. hoc intellige in meridie vnius diei: ꝛ per residuum totius anni iacitur illis vmbra septentrionalis.

Quox zenith ć inter tropicū cancri ꝛ circulū arcticū.

¶ Illis vero quox zenith est inter tropicum cancri: ꝛ circulum arcticum contingit q̄ sol in sempiternū non transit p̄ zenith capitis eox: ꝛ illis semper iacitur vmbra versus septētrionć. Talis ē situs noster. Notandū etiā q̄ ęthiopia vel aliqua pars eius ć circa tropicum cancri. Vnde Lucanus: Aethiopumq̄z solum qō non premeretur ab vlla. Signiferi regione poli: in poplite lapso. Vltima curuati procederet vngula tauri. Dicunt enim quidam q̄ ibi sumitur signum ęquinoce p̄ duodecima parte zodiaci. ꝛ pro forma animalis: quod secundū maiorem partem sui est in signo qō denominat. Vnde taurus cuz sit in zodiaco secundū maiorem sui partem tamen extendit pedem suum vltra tropicum cancri: ꝛ ita premit ęthiopiam: licz nulla pars zodiaci premat eam. Si enim pes tauri de quo loquitur auctor extenderetur versus ęquinoctialē: ut eēt in directo arietis: vel alteriꝰ signi: tūc p̄mereť ab ariete vel virgine: ꝛ alijs signis. qō patet p̄ circulū ęquinoctialē p̄alellū circūducti p̄ zenith capitis ipsox ęthiopū: ꝛ arietē ꝛ virginē vl̄ alia signa Sed cū rō phīsica huic p̄rieť: nō eni ita essent denigrati si in temperata nascereńt habitabili. Dicendū q̄ illa p̄s ęthiopię: de qua loquiť Lucanus ć sub ęquinoctiali circulo: ꝛ q̄ pes tauri de quo loquitur extēdiť versus ęquinoctialem. Sed distinguitur tunc in signa cardinalia ꝛ regiones. Nam signa cardinalia dicuntur duo signa. in quibus cōtingunt solsticia: et duo in quibus contin/

gunt equinoctia. Regiões aũt appellanť signa intermedia. Et ſm hoc pz q cũ ethiopia ſit ſub equinoctiali nõ premiť ab aliq̃ regio ne ſed a duobus ſignis tantũ cardinalibus. ſcilicet ariete ⁊ libra.

Quorum zenith eſt in circulo arctico.

¶ Illis aũt quoꝝ zenith eſt in circulo arctico contingit i quolibet die ⁊ tempore anni q̃ zenith capitis eoꝝ ẽ idẽ cum polo zodiaci: ⁊ tunc habent zodiacum ſiue ecliptícã ꝓ horizonte: Et hoc ẽ q̃ dicit Alfraganus q̃ ibi circulus zodiaci flectiť ſupra circulũ hemiſperij Sz cũ firmamẽtũ cõtinue moueať circulus horizontis interſecabit zodiacũ in inſtanti: ⁊ cũ ſint maximi circuli in ſphera interſecabũt ſe in ptes equales. Vnde ſtatim medietas vna zodiaci emergit ſupra horizontem ⁊ reliqua deprimitur ſub horizonte ſubito. ⁊ hoc eſt quod dicit Alfraganus q̃ ibi occidunt repente ſex ſigna: ⁊ reliqua ſex oriunť cũ toto equinoctiali. Cũ aũt ecliptica ſit horizon illoꝝ erit tropicus cancri totus ſupra horizonta: ⁊ totus tropus capricorni ſub horizonte: ⁊ ſic ſole exiſtente in primo puncto cancri erit illis vna dies viginti quatuor horaꝝ: ⁊ quaſi inſtans ꝓ nocte quia in inſtanti ſol tranſit horizonta: ⁊ ſtatim emergit: ⁊ ille cõtactus eſt pro nocte. Ecõuerſo cõtingit illis ſole exiſtente in primo puncto capricorni. Eſt enim tunc illis vna noꝝ vigintiquattuor horarum: ⁊ quaſi inſtans pro die.

Quoꝝ zenith ẽ inter circulũ arcticũ et polum mundi.

¶ Illis autem quorũ zenith ẽ inter circulum arcticũ: ⁊ polũ mundi arcticuz contingit q̃ horizon illorum interſecat zodiacũ i duobus punctis equidiſtãtib⁹ a principio cãcri: ⁊ in reuolutiõe firmamenti ꝯtingit q̃ illa portio zodiaci intercepta ſemper relinquitur ſupra horizontẽ. Vñ patet q̃ q̃mdiu ſol ẽ i illa portiõe itercepta erit vnus dies continuus ſine nocte: ergo ſi illa portio fuerit ad quantitatem ſigni vnius: erit ibi dies continuus vnius mẽſis ſine nocte: ad quantitatem duorum ſignorum erit duorum menſium: ⁊ ita deinceps. Item contingit eiſdez q̃ portio zodiaci intercepta

ab illis duobus punctis equidistantib⁹ a principio capricorni sem/
per relinquit sub horizonte: vnde cum sol est in illa portione in/
tercepta: erit vna nox siue die breuis: vel magna secūdū quantita
tē interceptę portionis. Signa autem reliqua: quę eis oriunt: et
occidunt: prępostere oriunt ⁊ occidunt. Oriuntur prępostere sicut
taurus ante arietē: aries ante pisces: pisces ante aquariū: Et ta/
men signa his opposita oriunt recto ordine. ⁊ occidunt pręposte/
re: vt scorpius ante libram. libra ante virginē: ⁊ tamē signa his op/
posita occidunt directe illa scz quę oriebant prępostere: vt taurus

Quorum zenith est in polo arctico.

¶ Illis autē quor zenith ē in polo arctico contingit ꝙ illor hori/
zon est idē qđ equinoctialis. Vnde cū equinoctialis intersecet zo/
diacū in duas partes equales: sic ⁊ illor horizon relinquit medie
tatē zodiaci supra: ⁊ reliquā infra. Vnde cū sol decurrat per illam
medietatem: quę est a principio arietis vsqz in finē virginis: vnus
erit dies continuus sine nocte: ⁊ cum sol decurrit in illa medieta/
te quę est a principio libre vsqz in finē piscium erit nox vna conti/
nua sine die. Quare ⁊ vna medietas totius anni est vna dies ar/
